res in tradenda componendi Methodo deliquerint.

CAP. V.

Cum quo miscendum simplex, quod non iuuat vitio facultatis.

QVod attinet ad agendi potentiam, quatuor de causis necessaria est illius defectu compositio; nam, vel simplex ſ caret aliqua facultate necessaria, vel aliquam habet superfluam, noxiamuè: vel facultas necessaria, quam habet fortior est, aut debilior, quam postulet exacta inter affectum, & remedium contrarietas. Caret facultate, vel actu, quia eam non ha-

ſ *Auerr. 5. colliget 57.*

habuit, amisitue, vel potentia, quia amittere potest. Amittere autem potest, vel quia ante administrationem, medicamenti vires disoluuntur, tenuioribus partibus euanescentibus, & tunc permiscemus simplex, vires alterius conseruans, velut est mel, & saccarum in syrupis, & conseruis &c. quę verè parantur; vel quia in ipsa administratione, propter itineris, quod conficere debet longinquitatem, virtus frangitur, ac longe fit inferior curando affectui, licet prius æqualiter foret contraria; quo casu est permiscendum medicamentum, tot gradibus altero superius, quot gradus refrangi debent in itinere, priusquam medicamentum ad affectum locum perueniat, vt si refrigerandum

sit cor in primo gradu, acetosæ, quæ in primo gradu est frigida, quæquè à nostro calore valde retunditur, antequam ad cor appellat, miscenda est nymphæa æqualiter, quę cũ sit frigida in 3, fiet compositum frigidum in 3, incipiente, atque adeo licet aliquid frigiditatis in via deperdatur, perueniet tamen ad cor frigiditas caliditati morbosæ exacte contraria. Sed dicet aliquis, huius remedij inuentionem non ad componendi, sed medendi methodum, pertinere, nam istam indicationẽ statuit t Gal. à situ partis sumi, qui, si profundus sit, validiora medicamenta postulat, quam pro ratione affectus.

Respondetur situm partis profun-

t 7. Meth. 13.

fundum dupliciter considerari posse, primo, vt est signum indicantis valde resistētis remedio, & sic pertinet ad Curatricem, secundo, vt est signum medicamēti simplicis, cuius vires exolui possunt, antequam ad locum affectum pertingat, & hoc pacto pertinet ad hanc methodum, quia indicat opus esse medicamento prioris vires integras conseruante.

Aduertendum nihilominus, nō esse simpliciter necessarium, vt simplex curādo affectui æque contrarium fortiori permisceatur, cum ad longinquam partem ferri debet: sufficit enim, vt eius quantitatem v. g. acetosæ, duplicemus, aut triplicemus, pro passi dispositione, quia quantitas multiplicata, vt suo loco di-

cetur, etiamsi virtutis intensioni nihil addat, operationem tamen facit validiorem, quia diuturnior est, contrarioque corrumpenti fortius resistit.

Quod si simplex ea quantitate non haberemus, aut etiam vsurpare nõ possemus ęgro eam aspernante, ad hanc commixtionem, modo iam dicto confugiendum. *Si facultas* omnino desit, quia nimirum simplex tot vires diuersas non habeat, quot requiruntur, miscendum aliud, à quo certas illas vires, recipiat, seruata interim virtutis proportione, vt si discutiendi, repercutiendique sit par necessitas, chamomelo, qui vim digerendi habet, repercutiendi minime, miscendæ sunt rosæ æquali pondere, quoniam tan-

ta

ta ineſt vis repercutiendi roſis, quanta digerendi, chamæmelo: ſicq; ſeruanda eſt virtutis proportio in cœteris, atquè addenda facultas deficiens, prorſus eius gradus, ac efficaciæ, qua indigemus, ſeù primam, ſeù ſecundam tertiamue facultatem deſideremus, quæ etiam certis agendi viribus, intenſioribus, aut remiſſioribus, ſicuti prima determinantur, quod à veteribus male, ait * Auerroes ignoratum.

Poteſt vero aliqua iſtarum facultatum varijs de cauſis in ſimplici deſiderari, quas Auerroes 5. facit,

Prima eſt ægritudinis, & cauſæ, ipſam facientis contrarietas.

Secunda eſt ipſarum ægritu-

* loco citato.

dinum mutua contrarietas, vt si ventriculus frigida, iecur calida intemperie teneatur,

Tertia est affectæ partis præstantia, cuius x robur perpetuo styptica postulat, vt ideo Galenus iubeat in omnibus iecoris, ventriculique inflationibus, nè solis digerentibus vtamur, sed cum aliqua adstrictione.

Quarta est situs, & colligantia membri,

Quinta naturæ membri, & naturæ ægritudinis cõtrarietas, quam si Auerroes censet medicamenti compositionem exigere, solius contrarietatis causa, fallitur. Nam cum temperamentum rectè se habet, y requirit similia, cum naturæ limites egre-

x 1. Meth. 15.
y 8. Meth. vltimo.

egreditur, contraria, tunc enim curare intemperiem, illamq; ad mediocritatem naturalem reducere, est temperamentum naturale conseruare. Quia igitur naturalis temperies indicat recessum z à naturali statu, ideoq; mensuram contrarietatis remedij cum morbo definit; si membri, & ægritudinis natura sit contraria, veluti si pars naturaliter frigida, calida intemperie afficiatur, non est propterea medicamentum calidum frigido permiscendum, sed simplex sumi potest tanto frigidius naturali partis temperamẽto, quanto pluribus gradibus caloris à naturali mediocritate recesserit. Planè quacumq; de causa eueniat, aliquam facultatem cura-

z xi. Meth. 1.

tioni neceſſariam in medicamen
to ſimplici deſiderari, aut eſt al-
teri, quam iam habet, contraria,
vt ſi calefaciendus ſit ventricu-
lus, & refrigerandum iecur,
Abſinthium habet facultatem
ventriculum calefaciendi, ſed
non refrigerandi iecur, idcir-
co miſceri debet cum cicoreo,
contraria virtute prædito, aut
non eſt contraria, ſed diuerſa
ſolum, vt ſi Rhabarbarũ cum
Sero lactis componatur biliſ
temperandæ, atquè expurgan-
dæ ergo, vel miſceatur medica-
mentum humectans, cum refri-
gerante tantum, pro tollenda
calida, & ſicca intemperie, vel
denique medicamentum cali-
dum miſceatur cum emolliente
aliaue 2. qualitas 1. addatur
cum qua conſiſtere poſſit.

Si

Si facultates coniunctæ non ſint contrariæ, vnaquæq; vires ſuas ſeruat integras, ac prò ipſarum efficacia operatur, nec eſt aliquis, qui de hoc ambigat, cum certum ſit corruptiuam actionem inter ea dumtaxat eſſe, quæ ſibi mutuo aduerſantur. At ſi contrariæ facultates commiſceantur, vt calidum cum frigido, aperiens cum adſtringente &c; non leuis eſt dubitatio, quomodo compoſitum contrarios effectus corpori imprimat. Etenim licet hæ cõtrariæ facultates priuſquam corpori applicentur in ſe mutuo non agant, quia, vt alias dicetur, agens, vt tale, debet eſſe actu, & patiens, vt patiens, poteſtate, facultates autem medicamentorum ſunt tales poteſtate, antequam cor-

pori

pori admoueantur, tamen cum in actum à calore nostro reducuntur, negari non potest, quin æque inuicem agant, & patiantur, ac in corpus. Vel igitur contrariæ illæ facultates erunt agendi potestate pares, vel vna erit altera fortior. Si primum, sese inuicem retardabunt impedientq; ne operari possint in corpus, quandoquidem, & se mutuo corrumpent, & vno eodemque instanti alteratione contraria moueri corpus nequibit. Si secundum, fortior corrumpet debiliorem, itaque vna tantum operatio edetur, & non contraria. His rationibus adductus est Auerroes, [a] vt statuerit ex contrarijs facultatibus sibi permi-

[a] 5. Collig. 57. Faloppius tract. de consp. med. cap. 26.

mixtis, fieri qualitatem mediam, ſicut i ex albo, & nigro fiunt medij colores, atq; hanc mediam qualitatem contrarios effectus producere, non quia ſit media per compoſitionem extremorum, quæ vult ipſe penitus corrumpi, ſed quia ex mutua contrariorum actione oritur, ac proinde ipſorum vires poteſtate includit. Quare ſi medicamentum aperiens v. g. cum adſtringente miſceatur, fiet quædam media qualitas, ſecundũ Auerroem, quæ ſi meatus, nec nimium apertos, nec nimium adſtrictos inueniat, ſed moderatos, non aget, quoniam ſimile non agit in ſimile: at ſi vnius partis meatus laxi ſint, alterius, adſtricti, medicamentum temperatum ex adſtringente, & laxan-

te

te, respectu partis laxæ erit adstringens, respectu adstrictæ, laxans, atquè adeo illam constringet, hanc relaxabit.

Verum si Auerroes putat, contraria sibi permixta reduci ad medium, priusquam corpori applicentur, damnat eum [b] Galenus, similisque opinionis assertores nugacitatis arguit, & ignorantiæ, quod non distinguant in medicamentis facultates proprias ab aduentitijs. Nam aduentiæ cum insint medicamentis actu, velut frigiditas in pipere refrigerato niue, & caliditas in aqua bulliente, possunt se inuicem corrumpere, non autem propriæ, quoniam insunt medicamētis potestate tantum, nequè ad actum secundum redu-

b 1. comp. per gen. 1.

ducuntur, priusquam à nobis incalescant. Dico, à nobis, si quidem calor extrinsecus non habet hanc efficaciam, vt medicamenta ad actum secundum reuocet, nequè enim piper subtilissimè tritum, & excalfactum, maiorem vnquam calorem inferet aduentitio, nisi nobis admotum fuerit, ac principium agendi secundum temperamenti sui virtutem à nobis acceperit: vt propterea nè in exacta fermẽtatione quidem fieri possit illa qualitatum contrariarum medicamentis propriarum mutua alteratio; nisi quis dicat ex fermentatione nouum mixtum resultare, simplicium omnium cõpositorum formis destructis: qua de re inferius. Quamobrem non potest ex contrarijs qualitati

tatibus simul iunctis fieri vna, antequam medicamenta à nostro calore actuentur. Quod si censet Auerroes fieri vnam post actuationem rationibus à se propositis, adhuc plenè non satisfacit. Nam si contrariæ facultates sunt pares actiuitate, ac se inuicem corrumpunt, quomodo gignent mediam? corrupta enim erunt ambo efficentia, quorum actione media facultas erat producenda. Si vero vna sit fortior altera, cur actio fortioris terminabitur, potius in generationem mediæ qualitatis, quam corruptionem contrarię? Addo mediam istam qualitatem per negationem extremorum esse improbabilem: cum enim sit terminus alterationis, terminus autem re non differat

ferat à motu, seù à forma, quæ est in fluxu, nõ potest actio qualitatum contrariarum terminari nisi in generationem mediæ ex vtraquè remissa, vel in totalem debilioris corruptionem. Deinde forma simplex, qualis esset media facultas per negationem extremorum, non potest includere principium contrariorum effectuum, quia cõtrarij effectus per se pendent à causis contrarijs, ergo non operatur contraria, nisi quia actus contrarios continet, qui illam componunt variasquè agendi potestates ipsi tribuunt. Sed ignota quoquè nobis foret similis qualitas media, quia nec sensu percipi posset, nec intellectu, daretur què aliud principium per se calefaciendi pręter caliditatem, aliud

refrigerandi, præter frigiditatem. Denique cum verisimilius sit omnem qualitatem mediam, atquè remissam, (excipio medias qualitates, quæ fiunt per naturalem emanationem, & non per transmutationem, quales sunt mediæ qualitates motiuæ aeris, & aquæ simplices tamen,) esse talem per admixtionem cõtrarij, non est dicendum, commixtis duabus facultatibus contrarijs vtramquè penitus interire, ac nouam aliam resultare, prioribus iam corruptis, virtute parem. Hanc dubitationem aliter diluit [c] Auicenna, inquiens, vires medicamentorum contrariorum non corrumpi inuicem, sed simul ac reducũtur in actum à calore nostro, naturam secernere

[c] 1. Sti in principio.

nere vnam ab alia; quodq; necessarium est vni parti, inibi retineri, alterum ab ipsa expelli, attrahiq; ab alio membro, quod ipsius indiget facultate. Etenim existimandum est, naturam noxium ab vtili secernere non peculiari aliqua in secretice, sed triplicis facultatis naturalis ministerio, retentricis inquam, expultricis, & attractricis, cumq; retentrix, & alteratrix circa iucundum, & vtile versetur, expultrix è contrario, circa molestum, & damnosum, non videtur à ratione alienum, duobus medicamentis cōtrarijs assumptis, puta Absynthio pro calefaciendo ventriculo, & Cicoreo pro refrigerando iecore, ventriculum retinere per se Absynthium, & expellere Cichoreum

tan-

tanquam obfuturum, istud verò trahi à iecore calidiori, tãquam amicum, & salutare. Si quidem naturalis appetitus membrorum, donec sunt sana, fertur in similia, & cum è sanitate decesserunt, in contraria, quia ab illis ad mediocritatem pristinam reducuntur. Neque videtur ambigendi esse locus, possit ne huiusmodi dissimilium partium in medicamentis fieri separatio à calore: si enim videmus caloris externi ope segregari etherogenea, artisq; Chymicæ opera dissimiles simplicium facultates extrahi, separariquè, cur idem in nobis euenire negabitur, cum caloris, vt calor est, sit disgregare etherogenea, & congregare homogenea? Quemadmodum igitur coctione separatur à

lente

lente, aliq; leguminibus pars abstergens, aperiensquè ab adstringente, ità natura nostri corporis d oppositas istas virtutes secernit, vt ideo duas cõtrarias operationes plerumq; in nobis experiamur à leguminũ esu, vrinę .s. prouocationẽ, aluiq; adstrictionẽ, Auuerroes hãc sententiã ridet, velut secretum in somnio reuelatum: alio tamen argumento non oppugnat, quam isto, naturam segregare non posse ea, quæ non sunt, ideoquè cum supponat contrarias qualitates inuicem agere, ac pati, ac se corrumpere, gigniq; mediam per generationem extremorum, fieri nullatenus potest extremorum corruptorum separatio.

Sed hæc Auerrois ratiocinatio

d *Gal. 1. aliment. fac.*

tio principium petit, non enim concedit Auicenna, contrarias qualitates sese corrumpere, sed postquam à calore sunt actuata, pro varia partium necessitate in diuersa loca dispensari, priusquam in se inuicem agant. Nisi enim hoc vellet Auicenna, quo pacto negare posset, contrarias facultates in actum reductas, sibiquè applicitas agere, atque adeo vel se reducere ad mediocritatem, si vtraquè sit par, vel vnam penitus corrumpi, si altera valentior extiterit? quo concesso, iam fieri non posset segregatio destructæ facultatis.

Ego vero aliam ob rationem, Auicenæ omni ex parte non assentior, posito enim fieri facultatum cõtrarium separationem in nobis, antequam suas vires in

se

se inuicem exserant, non intelligo quo pacto intensum medicamẽtum queat remitti; si quidem contrarium, à quo remitti deberet intensum, si ab ipso separatum fuerit, numquam remittet, quia non nisi applicitum passo, aget. Deinde experientia est comprobatum medicamenta purgantia, quæ ui quadam venenosa præstant, cum suis corrigentibus sumpta non nocere, sine ipsis autem, naturam mirum in modum agitare: signum luculentum, corrigens à purgante non separari, sed vim medicamenti alexipharmacam agere in deleteriam purgantis, salua interim virtute purgatrice, cum qua vis alexipharmaca contrarietatem nõ habet. Quod enim ait Gal. optimæ Theriacæ signũ

esse, si assumpti purgantis motum sistat, id non accidit, quod vis alexipharmaca Theriacæ destruat facultatem purgantis attractricem, sed quia natura roborata proprietate Theriacę, medicamẽtum purgans sibi inimicum expellit ideo sumpta Theriaca, si purgans operari ceperit, sedatur eius motus, si vnà sumatur, non mouet, quia eicitur fundamentum virtutis attrahentis. Præterea si natura tam constanti ordine, ac motu noxium secernit ab vtili, nullus profecto in medicamentorum compositione error cõtingeret, sed liceret Empiricorum more, multa simul confundere, vt aliquod saltem ex plurimis prodesset, quia natura illud sibi adsciscere, retineretq; alia secerne-

neret velut noxia, priusquam ab ipsis pateretur.

Vt igitur propositæ difficultati satisfiat; Notandum est

Primo, Multum discrepare qualitates primas medicamentorum, à secundis, & tertijs, quoad agendi, patiendiquè modum, Nam, Calor, & Frigus, quoniam insignis efficaciæ sunt, strenuè inuicem agunt, & patiuntur, simul ac à calore nostro ad actum secundum excitantur, antequam facta esse potuerit dissimilium partium segregatio: Qualitates vero secundæ, ac tertiæ, vt vis aperiendi, adstringendi &c. licet à primis pendeant, & ad mutuam ipsarum alterationem, illæ quoquè alterentur, id tamen non nisi lentè, ac diuturno admodum

tempore fit, quia non tam consequuntur calidi, ac frigidi proportionem, quam humidi, ac sicci, certumq; modum materiæ, raritatem inquam, densitatem, tenuitatem, crassitiem, lentorem, friabilitatem, quarè cum humidum, & siccum lentissime in se agant, valdeq; debiliter, aut omnino non agant, si propriè loquamur, sed patiantur tantum à calore, & frigore (cuius argumentum est, quod humidum humectat permiscendo se cum sicco, non autem siccitatem corrumpendo, cum exhausta iterum per calorem illa humiditate, res permaneat sicca, vt prius,) non est mirum, si post diuturnam, etiam caloris, ac frigoris reciprocam actionem, facta per calorem partium

te-

tenuium à crassis, densiorum à rarioribus separatione (quod caloris est proprium) secundæ facultates minimum refractæ, diuersimode ad materiam contractæ, segregentur, aliquando remanente parte aliqua proprij caloris, frigorisue, prout alterutrum erit fortius, aliquando etiam corrupto vtroquè, cum parem agendi vim obtinuerint, quo in casu calor noster materię tenui, aut crassæ medicamentosæ applicitus, supplet vicem caloris medicamenti, ac secundas ipsius operationes edit.

Notandum secundò.

Neque Qualitatem, similem specie, & gradu agere in similē, quia debet esse aliqua inter agens, & patiens dissimilitudo, neq; qualitatem specie similem,

gradu autem inferiorem, agere in aliam superiorem, quia superior gradus cõtinet inferiorem, ideoq; habet totam ipsius perfectionem. Quarè cum contrariæ facultates commiscentur, & in actum reuocantur, illa, quæ habet similitudinem cum membro cui applicatur, si similis sit, vel debilior, non agit in membrũ, sed in contrariam facultatem, ac propterea ex membro, & medicamento simili affectione prædito fit vnum agens in contrariam facultatem, à qua vtrumq; etiam repatitur, sicquè minuitur membri affectio non tota simul, sed sensim, ac sensim, atquè ità pro varia passi dispositione compositum ex contrarijs qualitatibus, contrarias operationes efficit, Exempli gr. si ventri-

triculo, frigida, iecore, calida intemperie effectis, Cicorenm misceatur Absinthio, ac vtrumq; actuetur, Cicoreum fouet quidem vẽtriculi debilitatem, quià impedit remedium calorificum, non tamen operatur in frigiditatem, sed ex ventriculi, & Cicorei frigiditate fit vnum agens contra Absynthij caliditatem, à quà necesse est repati ventriculi frigiditatem, ac propterea minui, cumq; ventriculus agat in medicamentum, vt ipsum sibi assimilet, quamuis assimilari nequeat, veluti alimentum, postquam aliquamdiù egit, nec finem suum, qui est passi assimilatio, consequi potuit, vtrumquè medicamentum expellit, velut inutile, quare Cicoreum perueniens ad iecur, ipsum refrigerat,

licet viribus retusis eo peruenerit. Hanc enim ab causam contrariæ affectiones ęgrè amouentur, quià medicamenta contraria sese refrangunt, vt numquam possimus medicamentum affectui ęquè contrarium applicare.

Hinc facilè colligitur, quid ex Auerrois, & Auic. sententia sit retinendum. Nam verisimile est, ex mutua actione, & passione medicamentorum cõtrariorum, nec non caloris nostri, conantis sibi assimilare vtrumquè, fieri quoddam tertium mixtum mediæ cuiusdam temperaturæ; scd per cõpositionem extremorum, ratione cuius cõtrarios effectus producat, modo superius proposito, ita tamen, vt ante huius medij generationem fieri posse fateamur diuersos effectus à me-

medicamento composito, pro varietate passi, cui applicatur. Separatio autem nequaquã fit, simul, ac medicamenta contraria sunt in actum reuocata, sed post matuam actionem, & passionem, & caloris nostri actionem, eousquè continuatam, vt medicamẽtorum compages dissolui, ac penè in sua principia reduci potuerit. Quapropter caliditatis, & frigiditatis, inter quas actio fortissima est, exiguum admodum segregari potest. Secundæ autem qualitates, si non integræ, at parum refractæ reseruantur, ac per disformis materiæ, cui insunt, segregationem separantur, seù materia illa segregata nouum mixtum efficiat, seù sit impurum elementũ à medicamẽto secretũ.